

habere, eandem urbem expoliaverunt, iter quoque Blandusium direxerunt¹, in quo cum omnibus rebus eorum se excluserunt et locum illum in sua virtute et potestate posuerunt, in quo firmiter credebant et sperabant a perfidia Caesaris posse evadere et se defendere. Et dum hec agerentur, Iulius Cesar ad civitatem accedens cum omni exercitu suo in ipsa intravit, turres et fortitudines, menia et palacia ipsius urbis cepit et occupavit, sedem quoque suam in Capitolio statuit et omne decrevit. Cumque Iulius Cesar in Romana urbe per tres stetit² menses, videns populares in eadem civitate quemlibet suum exercere offitium et viris nobilibus et potentibus fore derelictam, tamquam vir audax et magnanimus alta voce cepit dicere: 'O viri fortissimi et subiugatores Romani imperii, menia et palacia, turres et fortitudines vacuas derelictas, nullam vim defendendi habentes³ occupavimus atque plebagios, qui a longinquis partibus in Romana civitate affluerunt, subiugavimus, et ideo Romanum imperium subiugasse credamus. Non enim viris popularibus, advenis et vilis⁴ conditionis undique fugitivis pertinet Romanum imperium, sed viris nobilibus et magnatibus a Romulo⁵ urbis Rome conditore dicitur Romanum imperium pertinuisse. Honores vero urbis Rome et Romanum⁶ quidem imperium prudentissimis et magnatibus viris constituit. Ubi enim sunt viri magnates et prudentes urbis Rome, ibi est Romana civitas et Romanum imperium. Apprehendite arma belli, et civitatem et plebagios penitus derelinquamus. Pompeium Romanum imperatorem et Romanorum principes viriliter persequamur, ut veraciter dici possit nos Romanum superasse imperium, et menia et lapides plebagiis Romanorum custodibus penitus derelinquamus'.

De mense vero Aprilis tensis aquilis et signis belli motis iter suum versus Blandusium direxerunt, atque magno labore⁷ conatus est accedere; quem locum undique per terram obsiderunt, apud quem per septem menses stantes machinis et insidiis multis ipsum locum expugnaverunt. Videntes autem Pompeius⁸ et Romanorum principes intra⁹ locum minime posse evadere, navibus paratis silente nocte clam de ipso cum omnibus rebus suis exierunt et per maris undas navigantes ad transmarinas partes iter eorum direxerunt. Intelligens autem Iulius Cesar Pompeium et Romanorum principes recessisse, dolens et gemens, ira et dolore commotus, quasi furibunde huc et illuc precipitando, tandem scilientum omnibus precepit dicendo: 'O fortissimi et prudentissimi milites, qui usque modo

1) 'bādūisū duxerunt' Hs. Die Namensform so wie sie unten vorkommt corrigiert; 'iter dirigere' ist die stehende Phrase des Codagnellus, 'iter ducere' kennt er nicht. 2) 'hitates (habitantes)' Hs. 3) 'uiris' Hs. 4) 'remulo' Hs. 5) 'romulū' Hs. 6) 'popeius' Hs. 7) 'in fra' Hs.